Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1035
Quelle:
Copyright:

regiminis necessarium et ad remouendum malum scismatis opportunum. En loquentem Pontificem. *Proinde licet sedeas ad pedes domini cum Maria circa unum necessarium meditante, Marthe tamen erga plurima satagentis non debes ministerium aspernari* &c. et post multa in hunc sensum: *Hoc autem fili karissime tibi proponimus, ut electionem ecclesie memorate canonice de te factam deuote recipias* &c. et iterum: *Illam tibi excusationem non credimus admittendam, quod ideo nolis de monachatu ad pontificatum transire, quia non uis de quiete regredi ad laborem.* &c. En audientem Virum religiosum, nec alium, quam *Gerardum Sessium Regiens.* e Coenobio B. V. M. de *Tileto*, seu *Tilieto* Ord. Cist. jam a. 1120. in Dioec. *Aquensi* Ditionis *Mediolan.* fundato ad Infulas *Novariens*es a. 1210. dicto *Innocentio* sedente evocatum. Epistola satis prolixa.

Fol. 86. *Epistola* 88. *Archiepiscopo.* Init: *Cum hij qui oraturi cum domino ihesu christo ascenderunt in montem, ab ecclesiarum prelatis sint benignius confouendi, ne sancto ipsorum contemplationis otio a belial filijs perturbato de ipso monte descendere cogantur in vallem et pedes, quos lauarunt, inquinare, fraternitatem tuam monemus et exhortamur in domino per apostolicam tibi sententiam iniungentes, quatenus ecclesias, quas abbas et Canonici de tali loco qui cum maria sedere ad pedes christi dicuntur, ut audiant uerba eius, in tua diocesi obtinere dignoscuntur, cum pertinentijs suis propensius habeas commendatas* &c. Brevis et generalis Formula.

Fol. 90. *Coloniensi electo. Epistola* 92. Non alteri, quam *Theodorico* electo sub exitum anni 1208. *Bruno* enim *bone memorie predecessor* per decursum vocatur. Initium est: *In archa federis cum tabulis testamenti uirga continebatur et manna, ut in pectore summi pontificis cum diuine legis notitia sit rigor districtionis et dulcedo etiam pietatis. Cum igitur adulfus quondam coloniensis Archiepiscopus suis exigentibus meritis sit uirgam districtionis eius expertus, conuenit ut et manna dulcedinis eius gustet.* &c. Non admittit *Innocentius* compositionem inter hunc *Adolfum* et *Brunonem* initam; vult tamen, ut *Theodoricus Adolfo de bonis colonien. Ecclesiae ad sustentationem ipsius congruam prouisionem* assignet, quod si concordare nequiverint, arbitros statuit Episcopum et Praepositum majorem *Paderborn.* et Abbatem (Coenobium non exprimitur) cum Capellanis *Monasterien*s. Dioec. Multa sunt de Turbis hisce *Coloniensis* Ecclesiae, de quibus consulenda *Gallia Christ.* T. III. *col.* 683 — 87. in vasta *Epistolarum Innocentii* III. Collectione, quam *Tomis* II. adornavit *Steph. Baluzius Paris.* 1682. f. sed *tria* hic a me relata Monumenta fugerunt, ut puto, Virum solertissimum, dicam et *quartum*, nempe *Formulam relaxandi Interdictum* superius a me exhibitam, quae e phrasi pariter ad illum vere magnum Pontificem pertinere videtur,